

PUNCTVM II.

De Cancellis.

TAB. VII.
Nomen.

Qui Latinis Cancellus, Graecis est *καρκίνιον*, Oppiano *καρκινᾶς*. Plinius eum et Cancrum parvum sub Pinnotheris seu Pinnophylacis nomine confudisse videtur, ut Aldrovandus ostendit. Gallis Eremite, Bernardus l' Eremite dicitur. Eremitam, quod alios fugiens in testa quasi in solitudine vivat. Bernardum autem, quod vulgo in Gallia Bernhardus fatuos proverbio dicitur: hunc autem fatuam, quod crusta tectus, chelas habens, quae ad vitam tuendam satis esse possent, alienas domos in quibus latitet, quaerat. Exactissime ab Aristotele describitur.

Aldrov.
l. 2. c. 26.

Descriptio.

Arist. H. A.
l. 4. c. 4.

Communis fere est, ait Philosophus Crustatorum et Testatorum socius, quippe qui specie locustis similis, quippe qui specie locustis similis spectatur, nascique seorsum per se solitus est. Verum quod testam deinde petit, quam ingressus est, hinc similis testa contactis animantibus est: quapropter is in ancipiti esse, genusque sibi vindicare utrumque videtur. Forma tamen, (quod simplicius dixerim) similis Araneis est, nisi quod partem capiti, et pectori subditam ampliorem quam Aranei habent. *Cornicula* duo rufa tenuia gerit, quibus *oculi* totidem subjacent, qui nunquam intro recedant, ut Cancrorum, sed semper eminentes appareant. *Os* sub iis est, quod veluti capillamentis pluribus circumdatur. Iis pedes subjuncti duo, bifurces, quibus cibum ori admovent. Bini item utrique adhaerent lateri, et tertius parvus. *Thoracis* pars inferior mollis tota est, dissectoque sinu pallidum intus cernitur. Meatus ab ore ad ventrem pergit. Foramen excrementi perspicere nullum potest. Pedes ac thorax duritiem prae se ferunt, sed minus quam Cancri. Nexu nullo testis adhaeret. Buccinarum ac Purpurarum modo solutus liberque vagatur. Omnes sinistrum pedem crassiores dextro habent. Cum enim in testa circa medium corporis complicati vivant, quantum dextrae parti compressae alimenti ac proinde incrementi dece-

dit, tantum sinistrae liberiori ac laxiori accrescit. Bellonius addit, *Oculos* instar Astaci elatos habere, quos porrigit ac contrahit, maculis albis distinctos. *Dentes* osseos. Ab ore *oesophagus* tenuis ut filum ad stomachum protenditur. *Intestina* bis tantum revolvuntur: ac qui in ejus stomacho viridis humor spectatur, is in intestinis apparet candidus.

Tres ipsorum *species* Aristoteles facit. *Oblongior est*, qui Turbinem scilicet ingreditur, quam qui Neritim. Qui in Natice degit, dextrum bifurculatum pedem parvum habet, cum laevum grandiusculum habeat, eoque potissimum ingreditur. Ad tertiam spectare videtur, de quibus idem ita. Sunt inter Cochleas, quae inter se bestiolas habent Astacis parvis similes, quae in fluminibus gignuntur. Sed ea differentia, ut praemollem intra suam testam carunculam habeant, forma qualesnam sint ex dissectionibus contemplare. Nos hic ternas Icones damus.

Differen-
tiae.

Scaligero Squilla minima, Vasconibus Civada, dicitur. Pugillatim enim devoratur. Reperiuntur in pisciculis, pedes novissimos latiusculos habent, ut ad nandum utiles sint. In saxosis locis, coeno, et luto versantur. Ex eodem gigni credit Aristoteles, *Arist. H. A.* sed perperam. Ad latera enim adhaerent tanquam racemi aut globuli ova filo annexa. Et observatum est mares a foeminis aperte distinguere. Nati conchulas ingrediuntur; ubi excrevere in ampliores transeunt.

Arist. H. A.
l. 5. c. 15.

Usus et in Cibis habent. Dorion enim apud Athenaeum, inter hepsetos refert. Gesnerus, Coctum odorem, colorem et saporem fluviatilis habuisse scribit. Bellonius non esse edulem, sed Julidibus, Channis, Percis, et id genus saxatilibus gratissimum ait. Galenus eorum usu Mullos deteriores, et mali odoris evadere testatur: sed forte hoc de Cancellis, qui in spongiis, et qui *τράγοι* a foetido colore dicuntur, sumendum est. Et tantum de Crustaceis.

Usus.

APPEN-